

266.

Biographische Schriften über Ettenheim-Münster von Karl Will.

ut maneat in tua vocatione tuisque praesidio. Si tamen magno gentium apostolo* et nobis ipsius te verbis aliquotibus obsequens, non iracundus, non litigiosus, non superbus, non cupidus, sed irreprehensibilis, sobrius, prudens, ornatus, pudicus, benignus, modestus, hospitalis, testimonium bonum habens ab aliis, qui intus et foris sunt, ne incidas in opprobrium et in laqueum diaboli. Haec, dilecte in Christo fili, meditare, in his jam lotus esto, ut profectus tuus manifestus fiat: haec enim faciens et te ipsum salvum facies et eos, qui te audiunt. Dum autem ad te praesentes literas dirigimus per venerabilem conseruadotem tuum abbatem Maurimonasteriensem, cui multum confidimus, simul et tuis novo scripto mandamus, ut extincta omni priorum amaritudinum memoria renovatisque, ut par est, erga te ipsum patrem et pastorem filialis pietatis et obedientiae sensibus et officiis, imo renovato votorum studio ac religiosae professionis fervore, quam a domino proin exoramas, monasterii divi Etonis pacem ipsi concilient, obtineant et fovent. Datum in palatio nostro Tabernis Alsaticis sub signo sigilloque nostris et secretarii nostri subscriptione, anno domini millesimo septingentesimo vigesimo tertio, die vero mensis Iuli trigesima. Armand, cardinalis de Rohan.

Rescriptum secundum ad capitulares et conventuales.

Armandus Gasto, tituli sanctissimae Trinitatis in monte Pincio sanctae Romanae ecclesiae presbyter cardinalis de Rohan, episcopus et princeps Argentiniensis, Alsatiae landgravius, sacri Romani imperii princeps, magnus Franciae eleemosynarius, regii ordinis sancti spiritus commendator etc., dilectus filii, divi Etonis monachis professis, salutem. Carissimi in Christo filii: iterum venimus ad vos spiritu lenitatis, non in virga correctionis, neque enim scribimus, ut exprobremus, sed ut consolemur et moneamus. Annuntiamus pacem, quam virtute multa dabit Christus. si sedatis affectibus et compositis animis exitum negotii vestri dociles et tranquilli praestolamini, neque enim in commotiōne dominus, atque hanc, quam prioribus literis vobis susimus patientem in humilitate et silentio hodie tandem obtineat nostra erga vos indulgentia, amor, sollicitudo. Quod hac in re a nobis agitur, grati accipite et inde faustum omen ducite. Renovatis et extensis ad ampliora monitis et obtestationibus venerabilis abbatis vestri conscientiam, aequarent et caritatem convenientem, ut animo et voluntate totus ad vos redeat placidus, indulgens et amans. Quos certe sensus non extorquebit minax, morosa saeviensque fratribus aemulatio, sed certo conciliabit reciproca pietas, candida observantia et promptum ex animo obsequium. Zelotis honorem domus domini bonumque monasterii nomen: laudo vos, sed sit zelus vester secundum scientiam, incipiat a profectu cuiusque vestrum in via domini, suis in consiliis et quotidiana conversatione aemulantur singuli disciplinae regularis sacerdotiam: horreant et fugiant saeculi insidiantis et illecebrosi imprimis sexus contagium, saecularibus non audeant implicare se negotiis, aut cupiditate quaerendi lucri in commodum monasterii, aut falso sub praetextu exercendae, quae non tenentur, caritatis, monasticae obedientiae votorumque sacrorum sanctitatem ac meritum secretis admurmurationibus non corrumpant. Angelicum psallendi divinas laudes concinendi officium, tanquam in atriis coelestis patriae positi, renovato quo-

tidie fervore impleant et revereantur. His argumentis, dilecti filii, zelum studiorum religionis exhibebitis, his artibus monasterii honorem, commoda et gloriā extendetis et augebitis. Etsi autem hortando vos et monendo scribimus, ne putetis minus beigne exceptos fuisse a nobis querelas, quas per literas et per tres e vestris, quos huc accersivimus, in sinum nostrum deposuistis. Desideris enim vestris iterum favimus et iudicimus expensisque rerum ac rationum momentis annuis praecipuis postulationum vestrarum capitibus, super quibus multa praescripsimus, quae nota vobis faciet novum rescriptum, quod ad abbatem vestrum direximus, quodque una cum prioribus, tum ad abbatem, tum ad vos literis nostris, in monasterii vestri tabulas capitulares volumus inferri ac describi. Nova addet nostrae erga vos sollicitudinis argumenta venerabilis abbas Maurimonasteriensis, cui omnem fidem et observantiam exhibebitis. Nostro enim ille nomine et vicaria vice ad vos accedit, vobis virtute sanctae obedientiae, quam nobis debetis, quae vestrae salutis sunt et utilitatis, religiose inuncturus. Caeterum obtestamur vos in domino, ne irritam facialis omnem vestram sollicitudinem et curam; nihil ex parte vestra desideretur, quominus intentos fructus ferant ea, quae ad communem utilitatem vestram statuimus. Si jam abbas vester re et nomine patrem se ostendit, ipsi correspondeat mutuus vestrum omnium in ipsum amor filialisque reverentia, si frequentia habet capitula, si vobis conventus communicat negotia, vestrum nemo imprudens, aut sui impotens, aut privatae nimis opinioni addictus, aut secreti parum temax sapientia interturbet consilia, aut motus excitet inconsultos et incompositos. Si maiori cura incumbet gerendae rei oeconomiae, sincera fide et prompto obsequio adsint ipsi vocanti illi, quos vocaverit sibi iungi ministros, qui suis ita fungantur officiis, ut inde non quaerant extra monasterium vagandi, spiritualibusque renunciandi ministeriis et quae perfectionis sunt negligendi, infastum occasionem. Si proprius et familiaris vobis jam uitur, absit, ut quis vestrum ipsum minus reveretur, aut improba emulazione invidiae, dissensionisque inter fratres semina jaciatur. Meliora sane et viciniora saluti de vobis praesumimus, nec dubitamus, quin exemplo venerabilis abbatis nobis ultra obsequentes et deum pre oculis habentes, omnes unanimes, verbis utor apostolorum principis, compatientes, fraternitatis amatores, humiles, priorum amaritudinum oblii, deo benedicentes cum modestia et timore, sobrios et vigilantes, eam, quam satagimus deo operante vobis procurare pacem, sanctis illam supplicationibus ac bonis operibus, praesertim vero humiliante, obedientia ac votorum diligenti custodia impetratis aeternumque servetis. Datum in palatio nostro Tabernis Alsaticis sub signo sigilloque nostris et secretarii nostri subscriptione, anno domini millesimo, septingentesimo vigesimo tertio, die vero mensis Iuli trigesima.

Armand., Card. de Rohan.

De mandato emin. et ser. dom. dom. cardinalis episcopi et principis Argentiniensis Barbiers.

Debitas, ut par erat, retulit eminent. dom. cardinali et episcopo conventus in scripto gratias ac demum re in pace composita secuta est tranquillitas. Qua percepta fatus eminent. cardinalis et episcopus aliud misit rescriptum sequentis tenoris:

Rescriptum tertium eminent. domini cardinalis et epis. copi.

* Nämlich St. Paulus.

